

Aphor. L. p.m. 408. ubi cùm fecisset occasione datâ mentionem vasis illius, quod adhibitum est nonnunquam ad operandum subter aquis super navigia demersa, ut Urinatores diutiùs manere possint sub aquis, & per vices ad tempus respirare; illius fabricam & usum mox ita describit: Conficiebatur dolium ex metallo concavum, quod demittebatur æquabiliter ad superficiem aquæ, atque sic deportabat totum aërem qui continebatur in dolio secum in fundum maris. Stabat autem super pedes tres, instar tripodis, qui longitudinis erant aliquantò minoris staturâ hominis; ita ut Urinator posset, cùm anhelitus deficeret, immittere caput in cavum dolii, & respirare, & deinde opus continuare. Hujus verò Vafis, atque adeò campanæ Urinatoriæ, usum alium extraordinarium cùm in proximè antecedentibus indicâisset, si nimirum res postulet, ut corpora demittantur ad fundum aquarum, neque tamen aquas tangant, nec in vasis obturatis concludantur, sed aëre tantùm circumdentur; lubuit ejus rei facere periculum, & cùm orbiculo ligneo impossissimus frustulum panis recentis, butyri libum, oculum bubulum recens-exfustum, narcissi lutei florem plenum & hyacinthi cœrulei flosculos aliquos, hoc toto apparatu super duo ligilla transversa, inferne cerâ firmata suspenso, campanam plumbo suo onustam sub aquas in aqualiculo pif iibus asservandis aliàs destinato demisimus, ultra octiduum continuum ibidem derelictam. Protractis verò

Fig. 2

Phan. XII.

